Aristophanes Nubes

Guilelmus Esser

De prima et altera quae fertur Aristophanis editione

Seinem Freun
Grashof
v. V.

h 881

BIBLIOTHECAE

C. H. F. GRASHOFI

PRIMISLAVIENSIS.

LGr
A716n
.Ye

Aristophanes, Nubes

DE PRIMA ET ALTERA QUAE FERTUR NUBIUM ARISTOPHANIS EDITIONE AD ELVENICHIUM DISSERTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB ILLUSTRI ORDINE PHILOSOPHORUM IN ACADEMIA BORUSSICA RHENANA LEGITIME CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS ESSER,

MARCODURANUS,

SEMINARII REGII PHILOLOGICI IN EADEM ACADEMIA SOCIUS.

259456
22.9.31

ACCEDUNT THESES CONTROVERSAE AD DISPUTANDUM PROPOSITAE.

BONNAE AD RHENUM

1821.

PETRO IOS. ELVENICHIO,

SEMINARII REGII PHILOLOGICI IN ACADEMIA BORUSS. RHENANA NUPER SODALI

S. D.

GUILELMUS ESSER,

EIUSDEM SEMINARII SOCIUS.

Mirantem te vidi, Elvenichi, Sodalis optime, quum abituro Confluentiam ad publicandas ibi humanitatis litteras, quibus hic a condita inde Rhenana certatim euntes operam navavimus, monumentum quoddam tibi sacrum esse volui, quod et amicitiae nostrae et litterariae consuetudinis indicium publice extaret. Sed quum mihi in tota vita mea nihil unquam evenire potuisset auspicatius, quam quod tu, per septem circiter annos non solum honestarum litterarum studio, verum etiam mutuo amicitiae vinculo mihi coniunctissimus, ex Seminario Regio primus ad iuvenes humanitate et sapientia imbuendos arcessebaris; quid mi-

raris, si egregia hac opportunitate utar, qua, quid sentiam erga te et quam vehementer diligam te, publico monumento profitear? Quis enim tibi lubentius gratularetur, quis tibi sanctius fausta quaecunque precaretur, quam ego, qui non solum consuetudinem tuam semper amavi, sed etiam amicitiam, benignitatem, prudens consilium per tam longum tempus expertus sum. Attamen etiamsi modestia, fortasse suasisset, ut, quum ad explicandos meos affectus impetu prope ferebar, scribendi saltem audaciam evitarem; tamen nefas paene esse ducebam, illum, qui, priusquam Bonna nuper discederet, praeclaro studiorum suorum specimine, Seminario Philologico valedicendi causa oblato nos omnes sibi devinxit, ex grato consortio nostro nisi aequali aut simili honore ornatum dimittere. Praeterea, quum ego illam in me suscipere provinciam meditabar, et apud Sodales dilectissimos levem quandam de consilio meo mentionem iniiciebam, hoc quidem tam mirifice placuit, ut quidquid vellem me facere paterentur, at promissum meum me revocare non paterentur. Eorum sane optatis, veris quidem illis et sinceris, obtemperandum iudicavi, et perdita libertas iucundo

in servitio non aeque deploranda videbatur. Ita, Elvenichi, hic libellus abituro tibi gratulandi causa ortus et conscriptus est.

Iam vero dicam tibi, quodnam sit munusculum illud, quod tuo nomine inscribere placuit; at prius consilium explicabo, quod ad illud scribendum me impulerit.

Quum per integram fere hiemem non dissuadentibus magnis ingenio et doctrina duumviris, Seminarii nostri Moderatoribus prudentissimis, Aristophanis Nubes pertractandas suscepissem; diu totus fui in eo, ut rationes investigarem, quibus adductus poeta sapientissimum philosophorum, incomparabile illud innocentiae ingenuaeque virtutis exemplar, non solum acerbissimis criminationibus et dicteriis lacerarit, sed etiam Socratem illum in naturam prorsus non suam ita corruperit, ut, quem ingeniosissimum sanctissimumque habere consuevimus, ad imum inepti ludimagistri et flagitiosissimi homuncionis subsellium mira et inaudita temeritate deiecerit. Non enim cum laudata semper Atheniensium aequitate et humanitate conciliari posse videtur talis poetarum effrenata licentia, quae in viros de republica optime meritos, gravitate maximos, virtute

conspicuos opprobria impudentissima iactare eosque ipsa in scena miserrime divexare potuerit. Obstiterunt profecto, ut meministi, conatibus meis difficultates quam plurimae, eaeque strenue superandae, ne vel Socrati de sapientia sua et virtute Aristophanis auctoritate nimium auferretur, vel ingeniosus poeta indicta quasi causa severissimo iudicio condemnaretur. Quum ita meam de Socrate disputationem ad exitum fere perduxissem, et ea, quae scriptis mandaveram, ratione et sobria arte, quibus haec disciplinarum regina, Critica, exerceri potissimum vult, denuo examinare constituissem, offendebar vehementer narrationibus Scholiastarum quorundam, qui Nubes nostras, postquam semel in scenam prodierant, a poeta retractatas et secundis curis elaboratas esse tradunt, easque, quas nos habemus, Nubes secundas esse, quibus iterum in certamen descendere poeta decreverit. Quae si vera est Scholiastarum narratio, sic tu, Elvenichi, me aliquando disserentem audivisti, nunquam nobis tuto licebit eruere, quidnam revera Nubibus suis spectaverit Aristophanes. Nam quanam is alia de causa Nubium, fabulae, quae ciciderat, novam editio-

nem adornasset, quam ut quasi iniuriam ulcisceretur a scenae iudicibus sibi factam et ut repetita editione verum animi sensum, quem prius non satis percepisse iudices videbantur, spectatoribus aperiret? Quoniam vero nihil mihi tunc verisimilius videbatur, quam Nubes ideo displicuisse, quia Socrates in illis tam male habitus esset, Aristophanem populi iudicio fortasse ita sese accommodasse credebam, ut proprium iudicium, prius apertius prolatum, quodammodo celaret et Socratem quendam proponeret illi, quem in prioribus Nubibus perstrinxerat, quam maxime disparem. Non autem tam cupidus eram Aristophanis de Socrate audire testimonia, quum populi iudicio servit, quam si liberam incorruptamque suam de sapiente illo sententiam effert. At vehementius quidem angebar, quum Godofredum Hermannum, scenicae rei veterum iudicem longe peritissimum, in ea versantem sententia conspiciebam, secundam Nubium recensionem, de qua Scholiastae loquuntur, ab Aristophane inchoatam tantum, non consummatam perfectamque fuisse; eam vero, quae superest hodie, ex utraque editione, perfecta prima et imperfecta altera, mixtam esse. In qua eadem sen-

tentia et Frid. Aug. Wolfius esse videtur Praefat. ad Nub. pag. IV. et Boeckhius de Graec. Tragoed. Princip. pag. 21. Attamen, bona venia talium virorum dixerim, ab isto iudicio dissentire omnino cogebar; tum, quia non intelligebam, quamobrem Aristophanes, si Nubes revera expolire decrevisset, eam tamen haud absolutam imperfectamque reliquerit; tum quoniam non satis apparebat, qua ratione imperfecta fabula contra communem veterum poetarum morem e manibus Aristophanis in publicum emitti potuerit. Itaque ego ipse dubitationes quasdam meas chartae mandabam, et postea argumentum hoc paullo accuratius pertractabam; quo factum est, ut iusta paene disputatio quaedam in vulgus iam prodeat. Et illa tandem hoc assequutus esse mihi visus sum, ut plane intelligam, secundam Nubium editionem, sive perfectam, sive imperfectam, nusquam nisi in cerebro Scholiastarum extitisse, hanc autem, quam nos habemus, pristinam esse et genuinam, non retractatam a poeta aut alia quacunque ratione constructam.

Nunc igitur, Elvenichi, expositis omnibus, quae exiguo munusculo huic praefanda esse videbantur, ad illa venio, quae mihi

posui disputanda, nimirum utrum Nubes Aristophanis semel tantum editae sint, an, quae communis eruditorum sententia est, iteratis curis ipso a poeta elimatae. Verum nihil proficiemus, nisi prius tempus accurate definitum fuerit, quo fabula nostra in scenam producta, et quam ibi sortem experta fuerit.

Primum quod attinet, non spernenda veterum testimonia perspicue edisserunt, actam fuisse Nubes anno octavo belli Peloponnesiaci, sive Olympiadis octogesimae nonae anno primo, feriis Dionysiis, archonte Isarcho. Quod quidem a Scaligero receptum in Anagraphe Olympiadum habet argumentum fabulae sextum, confirmant scholia ad vv. 515. et 549., ex quibus apparet, eam sic etiam in didascaliis fuisse consignatam. Attamen fabula haec, etiamsi populum Atheniensem non prorsus inimicum sibi infensumque repererit, tamen scenae iudicibus displicuisse certum est, non Alcibiadis aut aliorum Socratis amicorum intercedente potentia, quod Wolfio videtur esse probabile, sed potius natura ipsius fabulae sic comparatae, ea ut plus eruditionis et peritiae requireret, quam apud spectatores et iudices, didactico illo et philosophico comoediarum genere aut

nunquam aut parum exercitatos inveniretur. Colligo hoc ex v. 514. seqq., quibus commotus assentiri non possum Aeliano Var. Hist. II, 13., inter alia de Nubibus earundemque scriptore haec quoque narranti, visum fuisse Atheniensibus ἀκρόαμα suavissimum, illosque tanto plausu, quanto neminem antea, prosequutos fuisse poetam, eumque victorem renunciasse et iudicibus mandavisse, ut Aristophanis nomen, non alterius, supremum scriberent. Posthabita autem est fabula Pytinae Cratini, nonagenarii senis, quem prius, quum aetate adhuc floreret, magnum omnique laude cumulatissimum poetam, iam perditum, ingenii inopem et delirantem anno ante editas Nubes in Equitibus traduxerat Aristophanes, et Conno Amipsiae, quae simul in certamen commissae fabulae erant. Tradidit rem Scholiastes qui argumentum VI. scripsit, et in Nubium parabasi ipse poeta testatur. Et idem iste Scholiastes iterum actas tradit Nubes anno sequente, archonte Amynia, successu quidem non laetiore; quam opinionem tuetur Scholiastes ad vv. 31. et 542. Huic sententiae qui primus se opponeret, eamque absurdam ineptamque haberet, Palmerius est in Exercit. pag. 751., cui suffragatur Her-

mannus in Praefat. ad Nub. pag. XX—XXI. hanc praecipue ob causam, quod eo anno, quo archon erat Amynias, Vespas docuerit Aristophanes, inauditum autem esse putarent, neque ullo antiquitatis testimonio comprobandum, duas eiusdem Comici fabulas eodem tempore in scenam fuisse commissas. Nihil est enim, quod addit Palmerius, si Nubes iterum essent in scena editae, id neutiquam non commemoraturos fuisse Aelianum et Eunapium; hi enim quam parum de hac Aristophanis fabula perceptum habuerint, permultis cognoscitur exemplis. Quoniam vero didascaliae Lenaeis Vespas actas commemorant; ex hoc argumento nihil sequitur, quam iteratas illas Nubes *Lenaeis* actas non fuisse. At quamnam ob causam alio die festo in scenam prodire non potuerint? Atque hic cernitur nodus, quem, quod postea videbimus, Palmerius profecto non satis explicuit, quique, si critico munere haud obiter fungi velimus, explicatu eo difficilior est, quo maiora de feriis dissidia sunt, quibus fabulas poetae suas in scenam committerent. Si igitur hoc probari volumus, quod quidem satis verisimile est, illam Nubium repetitionem nihil aliud quam Scholiastae commentum esse, cuius

auctoritas, licet sola sit, contemni nullo modo potest; hoc erit invictissimis rationibus comprobandum, Aristophanem Nubes nullo alio die festo praeter Lenaea docuisse, aut adeo non potuisse docere. De quo igitur hic accurate est disserendum.

Negari non potest, ut incipiamus ab eo, in quo omnes mecum tanquam in re certa facillime consentient, tria saltem quondam Athenis extitisse feriarum genera, et quidem mense sexto, Posideone, celebrata fuisse Dionysia ruralia (Διονύσια τὰ κατ' ἀγροὺς, sive τὰ μικρὰ), octavo, Anthesterione, Anthesteria, quorum tres erant dies, suo quisque nomine distinctus, Πιθοίγια, Χόες et Χύτροι, nono mense, Elaphebolione, Dionysia magna, sive urbana (τὰ ἐν ἄστει, vel κατ' ἄστυ, τὰ μεγάλα). Praeter haec tria etiam quartum aliquod festum a veteribus saepissime commemoratur, illud ipsum, quod Lenaea nuncupatur; de quorum tempore, quo celebrata fuerint, et in quanam propinquitate cum reliquis diebus festis constiterint, inter doctissimos viros longum et acre certamen fuit. Sed tota haec dimicatio duabus potissimum opinionibus continetur, altera, nihil differre, sed nomine tantum distingui Lenaea a

Dionysiis ruralibus; altera, Lenaea nihil esse, nisi Anthesteria. Alteram sententiam a Seldeno profectam multis rationibus confirmavit vir summus, Ruhnkenius, consentientes potissimum nactus Barthelemium, Wyttenbachium, Spaldingium, postremo Boeckhium, in libro de Graec. Tragoed. Princip. cap. XVI., pag. 205. seqq. At nuper, quum res iam decisa videbatur, alius in libro, de scena comica Atheniensium, edito Vratislaviae 1817., veteri addictus sententiae, nihil a Dionysiis ruralibus differe Lenaea laborat ostendere, quocum prorsus consentit, qui censorias libri partes egit, G. Hermannus in Ephemeridd. litt. Lipsiensibus an. 1817. Num. 59—60. Paullo post successit Boeckhius, prius Ruhnkenianae doctrinae defensor, qui nunc, nova scripta dissertatione, quae inserta est Actis historicis et philologicis Regiae Academiae Borussicae an. 1816—17., mediam quandam viam ingressus, Lenaea non solum a Dionysiis ruralibus, sed etiam ab Anthesteriis differre multis iisque, ut mihi videtur, gravissimis rationibus ostendit. Huius ego viri sententiam, quum eam quaestionem agito, num Aristophanes archonte Amynia Nubes iterum docuerit, pro fundamento pono,

non quo in Boeckhii verba iurem et alios, ut mecum ita sentiant, cogere velim, sed quoniam, si demonstravero, quatuor his festis Dionysiis Comicum Nubes non docuisse aut non potuisse docere, non possim in illorum reprehensionem incurrere, qui aut Ruhnkenii aut Hermanni doctrinam sequuntur, quod certe paterer, si unam harum opinionum sectarer, quin prius, id quod ab instituto meo longe alienissimum est, Boeckhii sententiam falsam esse demonstrassem.

Dionysiis ruralibus tragoedias sane et comoedias in scenam productas esse scimus, tamen, exceptis artis dramaticae rudimentis, repetitas solum, non novas, aut novas et iteratas promiscue. Novas etiam, ut Lenaeis, datas esse Ruralibus, olim asseveravit Boeckhius, nunc rectissime negat. Conf. eiusdem Dissert. de discrimine Lenaeorum etc. pag. 50. Verum si ita se res habet, ecquid permovere potuisset Aristophanem, ut Nubes repeteret? Certe non plausus ille, quo fuerant a spectatoribus exceptae; quam unam ob causam fabulae iam prius editae scenae rursus committi solebant. De hoc igitur verbum non addam. Num Anthesteriis fabulae datae sint, idque semper,

an certis solum temporibus, vehementer inter viros doctos ambigitur. Alii nulla data fuisse dramata credunt; alii data quidem fuisse statuunt, sed non ante Olympiad. 93, 3., quo anno huius instituti rudimenta posita essent. Quod si ita est, omnis quaestio de Nubibus iterum datis inutilis est et prorsus supervacanea. At omnem difficultatem praeclare nuper sustulit Boeckhius. Nam nulla de fabula diserte dicit quisquam, datam illam fuisse Dionysiis Anthesteriis; sed multi veterum loci clare significant, ludis quibusdam scenecis celebratos fuisse dies istos, qui tamen proprie dramata dici non possunt. Conf. Aristoph. Ran. v. 217., ubi dicitur: *ἡνίχ' ὁ κραιπαλόκωμος τοῖς ἱεροῖσι χύτροισι χωρεῖ κατ' ἐμὸν τέμενος λαῶν ὄχλος*, quibus verbis nihil significatur, nisi *Διονυσιακὸς κῶμος*, qui etiam Dionysiis magnis celebratur. Conf. Demosth. Orat. in Midiam pag. 517. Et Philochorus apud Scholiastam Aristophanis ad Ran. l. c. testatur, Chytris datos fuisse ludos quosdam, *ἀγῶνας χυτρίνους*, quo nomine dramata vix potuerunt appellari. Alii loci, quibus nostra potius, quam contraria sententia firmatur, ipsum apud Boeckhium melius legi possunt. Hoc igitur quaeras licet, an fortasse

Dionysiis magnis Nubes fuerint repetitae. Verum quaestio haec sane otiosissima est, quum non solum secundum omnem historiae fidem, sed etiam ob ipsam feriarum rationem certissimum sit, nova tantum his feriis dramata data fuisse, aut saltem talia, quae pristinam speciem ita deposuissent, ut, quamvis vetere servato nomine, tamen ut prorsus nova in scena spectari potuerint. Exemplo sit Euripidis duplex Iphigenia Aulidensis, tum Bacchae et Alcmaeon. Hoc vero facile quisque videt, quam parum de Nubibus dici possit. Neque valet hic quidquam sermo multorum, illa, quae de dramatis Dionysiorum magnorum festo editis, ad tragoedias proprie, non ita ad comoedias pertinere. Cur enim feriarum illarum ratio tragoedias repudiasset, si comoediis locum concessisset? Didascalias quoque si consulimus, non magis commoediae quam tragoediae feriis his repetitae commemorantur. Quodsi igitur Amynia archonte repetitae sunt Nubes, hoc est necessario statuendum, repetitas fuisse Lenaeis. Neque contra illos hoc loco disputo, qui feriis his novas tantum, non repetitas fabulas in scenam missas esse contendunt; horum enim si vera sententia est, nihil certius esse

posset, quam eo anno Nubes nunquam esse repetitas. Sed didascaliae, quarum auctoritas summa saepe iniuria spernitur, testantur, anno illo, quo archon erat Amynias Vespas docuisse Aristophanem; in quibus ipse conqueritur, quod superiore anno Nubes tam iniucundo cum successu docuerit. Est vero hoc prorsus inauditum, comicos poetas, una tantum fabula certare solitos, duas eodem tempore comoedias in scenam commisisse. Etiam Scholiastes in altera parte argumenti sexti, quae secundum rectam Hermanni observationem incipit verbis *τοῦτο δὲ ταὐτό ἐστι τῷ προτέρῳ*, diserte ait, Nubes non iterum in scenam fuisse productas, sed correctas hic illic a poeta, ut qui eas iterum docere statuerit. Quibus omnibus omnino consentiunt didascaliae, quae ipsae Nubes semel tantum actas commemorant, id quod Scholiastes refert ad v. 549. Vides igitur illam de iterata Nubium editione fabulam ab extremi ingenii hominibus excogitatam esse, ut difficultates quasdam, de quibus mox disseram, tollerent, quas quidem isti alia ratione tolli non posse existimarent.

Sed Aristophanes quanquam semel tantum docuerit Nubes, tamen eas iterum docere

voluisse et propterea fabulam iteratis curis expolisse, multis eruditis prope certum fuit, ob parabasin comoediae huius potissimum, ex qua hoc clare perspici posse videatur. Non enim inusitatum fuit poetis, id quod facere nostrates etiam non reformidant, ut sua ipsorum scripta, quum semel iam edita essent, retractarent et corrigerent, idque partim in actionis conformatione, partim in elocutione, tam in totis sententiis et scenis, quam in singulis dictionis partibus. Recensionem hanc vulgo dictam διασκευὴν veteres appellant a verbo διασκευάζειν, quod docente Wolfio Prolegg. ad Homer. pag. CLII. a veteribus magistris adscitum est in potestatem verbi ἐπιδιασκευάζειν, ut in scenicis prope idem esset, quam ἀναδιδάσκειν, h. e. *repetito committere fabulam, sed mutando, addendo, detrahendo emendatam, refictam et secundis curis elaboratam.* Verum, si in eo consistit διασκευὴ, ut in fabula prius edita tantum emendentur quaedam, addantur aut detrahantur alia, quod Wolfius Reizium sequutus malo Latinitatis vocabulo *fabulam refictam* appellat, cur non quivis liber, postea ipso a scriptore emendatus, διεσκευασμένος appellatur? Vidit sane hanc difficultatem Wolfius, eam vero

iusto celerius relinquit, id quidem affirmans, διασκευὴν quoque ad prosariae orationis scriptores pertinuisse, ut optimi Platonis dialogi recte διεσκευασμένοι dicantur. Quod omnino verum est, si in illa correctione tantum consistit διασκευή. Verum in eo posita est difficultas, quod verbum illud a veteribus grammaticis nunquam de prosariis scriptis postea emendatis usurpetur; quapropter nec nobis illa hoc nomine appellare licitum esse videtur. Quod si verum est, sua sponte id quoque consequitur, etiam secundas fabularum editiones non posse διεσκευασμένα δράματα nominari. Quod vir egregius C. F. Heinrichius primus vidit, et pari, quo detexit acumine sustulit eruditione in Diatr. de diasceuastis Homericis pag. 20—21, quum verissimam rationem affert, cur de dramatis, non de aliis generibus, verbum διασκευή usurpari possit. „Est enim, inquit, propria vox scenae σκευὴ de omni apparatu; quumque fabulae correctae repetito docebantur, non ad verba tantum ac versus pertinuit διασκευή, sed maxime ad graviores curas poetae, vel in partibus histrionum vel in ipsa dramatis oeconomia, vel in choro et reliquo apparatu, plus minusve mutantis

atque secundam operam argutius adhibentis. Quae omnia quam male respondeant repetitis diversorum librorum editionibus, monere nihil attinet. Quid quaeris? In tanta, tamque obvia multitudine locorum, in quibus διασκευάζειν cum cognatis suis de altera dramatum editione usurpatur, vix unus exstat, qui hoc dictum de aliis scriptis aperte probet, et, ubi occurrit ad alia translatum, non habet vim *correctionis*, multo minus, quae ipsius auctoris esset, immo constanter fere *illicitae corruptionis* opprobrium." Ad talem vero correctionem fabulae poetae invitabantur maxime plausu, quo drama fuit a popularibus exceptum; quod tamen, si magnopere placuerit, de pristina forma parum exuebat, licet hic illic mutationem quandam obtinuerit. Raro certe a bono poeta fabula iterum producta fuit, quin prius, licet in exigui momenti rebus, correcta esset et emendata, nisi una et altera, postulante populo, quod Ranis et Pluto Aristophanis videtur contigisse. Sic satis constat inter eruditos, tragicos poetas, Sophoclem inprimis et Euripidem fabulas suas saepe retractasse, ut eas nobiliore forma et aliqua saltem novitatis gratia exornatas iterum in scenam committerent. Huius Autolycus pri-

mus, drama satyricum, memoratur Athenaeo X. pag. 413. 6.; illius citatur Θυέστης δεύτερος, Φινεὺς πρότερος, Τυρὼ προτέρα, Λήμνιαι πρότεραι. Conf. Casaubon. ad Athen. VII, 4. pag. 487. 495. 496. et Brunckium in fragmentorum collectione. Nostrum quoque poetam, Aristophanem, comoedias suas, postquam lucem iam viderant, iteratis curis expolisse, ex multis veterum testimoniis satis superque demonstratum est. Sic, ut unum tantum exemplum afferam, Plutum novimus priorem et posteriorem; repetitam praeterea Thesmophoriazusarum editionem. Conf. Küster. in Prooem. Pluti et egregium Pluti interpretem, Tiber. Hemsterhusium, permultis in locis, quos citatos invenies in Indice s. v. Pluti comoedia. Adde Schol. Venet. ad Iliad. Ψ, 361. Casaub. ad Athen. I, 23. pag. 67. Gell. N. A. XV, 10. Porson. Advers. pag. 248. Edit. Lips. Iam vero de Nubibus, quam iterum docere voluisse poetam ex parabasi colligi posse videtur, necessaria nobis oritur quaestio, utrum postquam semel iam edita esset, postea fuerit a poeta correcta, an prima forma nunquam deposita praeter labes illas, quas in longa peregrinatione iniuria temporum aut desidia hominum contraxit, ad nostram usque aetatem

immutata pervenerit. Et hanc sane quaestionem ob multas quidem et gravissimas causas, quas iam prius breviter indicavi, prorsus necessariam dico, minimeque praetermittendam illis, qui Nubium vaporibus non impediti, solis et astrorum splendorem sanis oculis cupiunt admirari. Quare non bonae horae fructum nos perdidisse conqueremur, si ad quaestionem hanc, vel omnino neglectam vel certe indiligenter examinatam non ineptam tandem responsionem invenerimus.

Antequam vero argumentum hoc pertractandum aggredimur, statim in ipso limine disputationis hoc probe animadvertendum est, si Aristophanes revera Nubes correxerit, illam recognitionem nequaquam in futili quadam et otiosa priorum Nubium editione potuisse consistere; sed iteratam editionem, si qua fuit, necessario a priore illa omnino disparem et diversissimam extitisse. Malles id suspicari, Comicum tam ineptum et insulsum fuisse, ut levibus quibusdam et exiguis emendationibus adhibitis, deliciis talibus et minutiis scenae iudices, quibus, ut supra diximus, primae Nubes displicuerunt, aequos iam sibi et propensos facere posset opinari? An audere potuisset

Aristophanes cum magno, cui laus et honor non deerat, concertatorum numero in aciem dimicationemque descendere, quin praeterea teretibus popularium auribus, nota et trita repudiantibus atque cernere aut audire nolentibus, novi et non prius auditi quidquam afferret, neque curasset aut metuisset, ne res prius iudicata iam iterum iudicaretur? Quodsi igitur Aristophanes recentem Nubium editionem adornavit, certo profecto certius est, hanc illum vel integram mutasse, vel magnam saltem praecipuamque partem mutando correxisse.

Iam vero si quaerimus, num poeta Nubes revera correxerit, illa, quae de iterata Nubium recensione nobis antiquitus tradita sunt, non ideo tanquam ficta reiiciemus, quia falsum est, fabulam hanc iterato scenae fuisse commissam. Nam ex ipsa Nubium parabasi, de qua postea copiose disseremus, colligi posse videtur, Aristophanem fabulam hanc, correctam quidem et expolitam, iterum docere voluisse, ac praeterea δράματα διεσκευασμένα vel ἐπιδιεσκευασμένα (*fabulae correctae*, ut inquit Quintil. X, 1., *retractatae et expolitae*, ut Gellius III, 5.) subinde, licet rarissime, scripto tantum edebantur, quod saltem de Eupolidis Marica,

ut solum ad comicos poetas respiciamus, erudite observavit Casaubon. ad Athen. VI, 7., pag. 416. Et Aristophanem eiusmodi Nubium emendationem revera suscepisse, non solum multa scholia claris verbis edisserunt, sed etiam versus quidam ex ipsis Nubibus a veteribus quibusdam scriptoribus circumferuntur, qui quum in nostra editione frustra quaeruntur, ut in priore quadam, quam nos non habemus, locum invenerint, omnino statuendum esse videtur. Quin adeo versus quidam a bono scriptore commemorantur, qui diserte ex *primis* Nubibus, ut a secundis perspicue distinguantur, deprompti esse dicuntur. Porro Scholiastes is, qui argumentum sextum fabulae scripsit, testatur, recognitam fuisse penitusque mutatam parabasin, colloquium iusti et iniusti oratoris, demum exitum fabulae, in quo Socratis domus incenditur; praeterea alia multa hic illic mutata et correcta traduntur. Quapropter hoc loco tria nobis potissimum sunt spectanda; primum, num Aristophanes ipse in parabasi de Nubibus emendatis loquatur; tum, an Scholiastarum narratio de correctis his tribus fabulae partibus fide digna et vera sit; demum, an versus illi, qui ex primis Nubibus citati le-

guntur ex istis revera et non ex alio quodam, fortasse turbulento fonte manaverint.

Num in parabasi nostra reperiri aliquid possit, ex quo appareat, poetam fabulam hanc secundis curis elaborasse, eam ut iterum vel in scenam proferret, vel scripto tantum emendatam ederet, sive, quod maius est, num in illa Aristophanes ipse de iterata Nubium editione loquatur, prima, ut diximus, quaestio est, a qua obscura haec dispututio necessario est incipienda. Aristophanem autem revera hanc Nubium emendationem eo consilio suscepisse, ut eam iterum in scenam proferret, Hermannus, vir peregregius, probasse sibi videtur in Praefat. pag. XXI. seqq., at poetam illud facere tantum voluisse, non revera fecisse, et emendationem fabulae inchoatam tantum, non perfectam et consummatam fuisse. Quae opinio potissimum in eo nititur, quod Comicus in parabasi illa fabulam suam aliter descripsisse videatur, quam revera est, et multa, quae tanquam inepta perstringit, ab ea longissime abfuisse commemoret, quae nihilominus ibidem nunc quoque reperiuntur. Ex hoc vero unum horum sequeretur, poetam fabulam vel diversis in locis mutavisse, vel

mutare tantum voluisse, licet illud postea omiserit, vel sibimet ipsi non constitisse et mendacia adeo aut absurda protulisse. Verum de hoc iam non loquar, sed obiter tantum monuisse sufficiat, quum ad illa, quae ex hac sententia sequuntur, sive vera sive falsa sint, mihi postea necessario redeundum sit. Sed num ex ipsis verbis hoc erui possit, eam fuisse mentem Aristophani, ut fabulam hanc repetito scenae committeret, nobis quaerendum est; et examinandi ideo v. v. 521—22., ex quibus fortasse aliquis colligere posset, poetam Nubes iterum expolivisse, eas ut expolitas denuo doceret.

*ταῦτ' οὖν ὑμῖν μέμφομαι
τοῖς σοφοῖς, ὧν οὕνεκ' ἐγὼ ταῦτ' ἐπραγματευόμην.*

Posset sane aliquis non inepte versus hos de primis Nubibus, quae, ut diximus, scenae iudicibus displicuerant, non de secundis intelligere. Iam quoniam in hac parabasi, quae, ut ex ea ipsa patet, adiecta est, postquam fabula semel modo edita esset, de iniucunda, quam expertus est, sorte ipse Comicus graviter conqueritur; facile venit in mentem, hanc fabulam, parabasi locupletatam, mutatam prorsus

et fere novam esse, et, quum ipsos adeo scenae iudices alloquitur, novo certamini litterario destinatam. Verum hoc, ut candidi simus et verum fateamur, ratiocinando tantum assequimur, non in verbis ipsis latet, ex quibus potius oppositum sequeretur. At a recta verborum interpretatione semper exordiendum esse in litteris hisce, eaque neglecta omnibus etiam subtilissimis ratiocinationibus nihil confici, quisque perspectum habet, nisi imperitissimus et iusta notione horum studiorum omnino destitutus. Ταῦτ᾽ ἐπραγματευόμην aperte dicit poeta, quo fabula notabatur, ab illa, quae prius edita fuit, profecto non dissimilis aut saltem non multum discrepans. Praeterea etiam hanc comoediam, quam, ut vidimus, non revera quidem sed ficte tantum et φανταστικῶς iterum docet, quamque nos ob communem loquendi usum secundas Nubes appellamus, eandem dicit, quam prius docuit; sive Nubes illas, quas, ut ex parabasi colligi posse videtur, postea docere voluit, ita describit, ac, si parabasin ipsam exceperis, a primis Nubibus nequaquam discreparent. Conf. v. 555. seqq., ubi probe notandi sunt aoristi ἦλθε, ἔσκωψε, εἵλκυσεν. In hoc igitur loco nihil aliud latere potest,

quam Aristophanem inepta censorum suorum iudicia voluisse perstringere; se enim superatum victumque publice profitetur ὑπ' ἀνδρῶν φορτικῶν, ab incommodis et ineptis concertatoribus, Cratino nimirum et longe inferiore Amipsia; quapropter irasci se dicit τοῖς σοφοῖς, quibus verbis tamen rectius spectatores quicunque, quam scenae iudices tantum, intelliguntur. Nam ut expediamus hunc locum, a nemine, quod sciam, recte explicatum, ἄνδρες φορτικοὶ nequaquam οἱ κριταὶ sunt, quod Scholiastae et Ernestio visum est; sed concertatores Aristophanis, Cratinus praecipue et Amipsias, qui in hoc certamine comico palmam arripuerant. Quod mihi quidem nulli dubitationi obnoxium videtur, quum ἀνεχώρουν, ἡττηθεὶς, quae certaminibus dramaticis propriae voces sunt, non possint ad iudices referri. Οἱ σοφοὶ vero spectatores sunt, sive populus Atheniensis universus. Quod si non ex verbis ipsis patet, saltem ex sententia progreditur; profecto enim absurdissime loquutus fuisset Aristophanes, si dixisset, se in scenae iudicum gratiam comoediam suam elaborasse. Perspicitur id etiam ex versu 516., qui referendus est ad versum 514., quo poeta spectatores omnes alloquitur,

generali invocatione ὦ θεώμενοι. Conf. omnino Ran. v. 677. et 608. Sed, qui versu 523. sequuntur οἱ δεξιοὶ sane κριταὶ sunt, qui ob ineptum de fabula nostra iudicium acerbissima ironia perstringuntur. Hic igitur locus, si ad verba et totam sententiam animum attenderis, non est de repetita Nubium editione intelligendus; sed concertatorum, populi universi, inprimis scenae iudicum vanitatem, inscientiam et iniustitiam eo graviter poeta insectatur. Et profecto non fuit consentaneum moribus et ingenio Aristophanis, ut meliorem quam antea sortem obtineret, aperte profiteri, se fabulam hanc, quam omnium suarum praestantissimam appellat, summaque cura et sedulitate compositam, novis curis expolisse. Cur quaeso, si hoc egisset, torpore et ingenuae artis inscientia laborare diceret eos, quibus, si correxisset Nubes, novum idque lepidissimum suppeditasset argumentum, quo et pristinum suum corroborare iudicium et quo nunc etiam ad repellenda et risui exponenda poetae in populum iudicesque dicteria uti quam commodissime potuissent. Et quam absurde et inverecunde sibimet ipsi repugnasset is, qui res easdem, licet mutatas, mercatui exponit et, ubi

hoc facinus committit, dicere de se non erubescit:

Κἀγὼ μὲν τοιοῦτος ἀνὴρ ὢν ποιητὴς οὐ κομῶ,
οὐδ' ὑμᾶς ζητῶ 'ξαπατᾶν, δὶς καὶ τρὶς ταὔτ' εἰσάγων·
ἀλλ' ἀεὶ καινὰς ἰδέας εἰσφέρων σοφίζομαι,
οὐδὲν ἀλλήλαισιν ὁμοίας καὶ πάσας δεξιάς.

Quae verba leguntur v. v. 541—44. Quapropter in eo amplius non commorabimur, quum ipse Aristophanes impostoris nomine notet eum, qui eadem plus semel producit. Nubes iterum docet poeta, aut rectius, vult docere, non discrepantes a prioribus, sed easdem, quod sic instituit, ut significet spectatoribus, incorrupto iudicio et proba eruditione opus esse, si hac fabula delectari velint; se ipsum omnia, quae haberet in potestate posita, pro viribus explevisse.

Ipsa vero parabasis haec, imperfecta quidem, ut bene docet Hermannus in Element. doctr. metr. pag. 723., metro Eupolideo conscripta, a versu 514—553. eodem viro summo teste in Praefat. ad Nubes pag. XXI. seqq. prius scripta esse non potest, quam annis tribus post editam fabulam; id est anno quarto Olympiadis octogesimae nonae. Aristophanes

nimirum in hac parabasi v. 549. loquitur de fabula quadam Eupolidis, Maricas appellata; sed didascaliae nobis testantur, Eupolidem Maricam ipso hoc anno, scilicet Olymp. 89, 4. edidisse; ergo etiam parabasis illa ab Aristophane prius elaborata esse non potuit. At parabasin hanc statim post editum Eupolidis Maricam fuisse conscriptam, apparet ex versu ipso

Εὔπολις μὲν τὸν Μαρικᾶν πρώτιστον παρείλκυσεν.

Porro referente Scholiasta ad v. 545. Eupolis in Marica Cleonem mortuum iam significavit; Cleon autem diem obiit anno tertio Olympiadis octogesimae nonae, Alcaeo archonte, qui est annus secundus post editas Nubes (Conf. Schol. ad v. 545. et Athen. pag. 218. ibique Casaubon. V. 18.); ergo etiam Eupolidis Maricas non prius quidem, quam anno tertio, postquam Aristophanes Nubes docuit, scenae committi potuit.

Cum hac parabasi, quae quando conscripta fuit iam indicavimus, cohaeret *ἐπίῤῥημα* inde a versu 571—590. et *ἀντεπίῤῥημα* a versu 603—622., de quibus id ipsum quaeritur, utrum postea accesserint, an ex prima Nubium editione servata sint. *Ἐπίῤῥημα* ex priore Nubium edi-

tione remansisse, Scholiastae ad v. v. 545. 576. 587. volunt comprobare. De Cleone enim hic loquitur Aristophanes, ac si etiamnum inter viventes versaretur; qui tamen, quod antea demonstravimus, anno tertio Olympiadis octogesimae nonae, integro igitur anno post conscriptam parabasin, mortalitatem expleverat. Ex his colligere vult Hermannus in Praefat. ad Nub. pag. XXII., ἐπίῤῥημα hoc ex primis Nubibus remansisse, quoniam hae vivente adhuc Cleone scenae erant commissae. Sed etiamsi decisa et certissima iam res esset, de quo nunc valde dubitamus, duas revera Nubium editiones e manibus Aristophanis exiisse; ex eo tamen, quod ibi de Cleone tanquam vivente sermo sit, minime colligi potest, ἐπίῤῥημα hoc ex prima editione in alteram emigrasse. Nam si reapse secundam Nubium editionem adornasset, quod positum modo sit, etiamsi non concessum, certe id non fecit alio consilio et instituto, quam ut se ipsum liberaret ab iniustis criminationibus et ut ulcisceretur iniuriam illatam sibi a malevolis arbitris, qui praestantissimam fabulam ineptis concertatorum opellis iniuste, ut ait, postposuerant. At si hoc verum fuit poetae consilium, quod affirmare

non valde repugnabis, quid ipsi congruum magis, quid fini suo magis consentaneum esse potuisset, quam si ubivis omnem et temporis et personarum rationem, in primis Nubibus adhibitam, studiose custodierit, ut quum populo et arbitris perversum iudicium ex artis inscientia profectum obiicit, hoc fulmine percelli non posset, se iam sane nobiliorem fabulam, at diversissimam ab ea, quam prius docuisset, in scenam protulisse, in qua nihil invenirent, quod esset reprehendendum. Callide igitur et cum egregia quadam animi confidentia rem suam instituit Aristophanes, si, ut ne minimum quidem concederet aut indulgeret iniustis adversariis, eandem retinet temporis rationem et conditionem personarum, quae etiamsi e vivis excesserint, nihilominus ut vivae considerantur. Qui ergo ex Cleonis obitu aliquid colligere conantur, quo sententiam suam corroborarent, sibimet ipsis sunt impedimento. Odoratus est etiam nasutus quidam Scholiastes ad v. 587. aliquid hic fortasse latere, quod ut explicaretur, omnigenam ipsius sapientiam et doctrinam videretur exposcere; quare insigniter sibi complacuit, si ineptit, ἐπίρρημα hoc parum post formidabilem Nubium tempestatem,

vivente igitur adhuc Cleone satisque florente, at diu tamen ante elaboratam parabasin, in qua comoediae in Hyperbolum scriptae commemorantur, exaratam fuisse. Rationem huius opinionis qui quaerit, quaerat quam diu volet, donec meliorem invenerit hac: negari non posse Aristophanem fabulas suas tam miserabili et deplorando modo consarcinasse, ut in parabasi illa extorquenda, quae ut uno tenore fluat necesse est, per annos fere tres desudarit, etiamsi non illo successu, ut singula inter se satis cohaererent. Patet hoc cuique, qui naturam parabasis veteris comoediae vel leviter perspectam habet, quique novit *ἐπίῤῥημα* et *ἀντεπίῤῥημα* partes parabasis esse. Quid igitur statuamus? Ἐπίῤῥημα hoc eodem tempore scripsit Aristophanes, quo etiam parabasin est elucubratus; simul etiam *ἀντεπίῤῥημα*, ut conficiatur parabasis per se quidem multum imperfecta. Conf. Hermann. Element. doctr. metr. pag. 270. seqq. Totus igitur locus inde a versu 514—622., (quem integrum, non cuius particulam aliquam parabasin appellare licet) simillimus Ranarum parabasi postea, sed eodem tempore accessit, et quidem adiectus est ab ipso poeta, non a quodam amicorum eius;

quod quum ubivis ipsum Aristophanem tam diserte agentem et loquentem cernimus et audimus, a nemine, nisi ab imperitissimo in dubium vocari potest.

Satisfecimus ut opinor primae quam statuimus quaestioni intricatae et perquam difficili; quare ad alteram nec leviorem nec faciliorem nobis nunc festinandum est, ad eam nimirum, num fidem et assensum mereatur Scholiastae narratio, Aristophanem imposterum etiam duas comoediae scenas, colloquium scilicet iusti et iniusti oratoris et dramatis exitum, in quo Socrati domus incenditur, omnino mutavisse. Hanc recognitionem si instituit poeta, qualis fuerit, eruere nobis non concessum est; tum quod unam tantum Nubium editionem ad nos transmiserit antiquitas, tum etiam, quod de illa utriusque editionis inter se discrepantia a veteribus scriptoribus, qui utramque viderunt, nihil prorsus commemoratum sit. Sed ecquid libentius crederemus Scholiastae, qui duas has fabulae scenas, accurate nominatas et descriptas, tam fidenter et secure, ac si ipse corrigenti assedisset Aristophani, mutatas expolitasque testatur; nisi unusquisque, qui harum litterarum conditionem novit, quotidiana fere

experientia haberet exploratum, narrari nobis tum multa a Scholiastis, quae licet primo obtutu, quum repentino quasi novitatis impetu ferimur, verissima certissimaque videntur, postea tamen, iusta nimirum cautione adhibita, falsissima ineptissimaque reperiuntur. Quamobrem, ut consuetos illos errores, in quos nimiae credulitatis homines incidere toties solent, prudenter evitemus, hoc in argumento ita versabimur, ut Scholiastarum auctoritatem non spernamus quidem et repudiemus, sed tamen ut rationes, quibus omnem decet auctoritatem inniti, anquiramus sollicite, quibusque rationibus adducti Scholiastae poetam duas has nobilissimae fabulae partes postea correxisse putaverint. Verum quum Scholiastae narratio de emendatis his fabulae partibus tam diserta sit fidenterque prolata, ecquis non crederet ipsum utramque Nubium editionem in manibus habuisse et quae inter utramque intercesserit discrepantia propriis oculis habuisse perceptum? Sed ne vidisse quidem Scholiastam priores Nubes ab ipso viro summo, qui nobis in hoc studio praeivit viam, Godofredo Hermanno in Praefat. pag. XXIV. iustis rationibus demonstratum est. Id quidem satis perspicue ex eo cernimus,

quod, quum aliquid e primis Nubibus in alteras emigrasse dicant, coniectura ubivis utantur, non vero se ipsos id in priore editione vidisse testentur. Conf. Schol. ad v. v. 545. 576. 587. ubi rationem subducunt secundum vitam Cleonis. Si vero unquam, quod tamen saepe fit, hallucinari Scholiastae solent, certe tunc errant saepissime, non quum nobis illa referunt, quae antiquitus tradita sunt, aut quae ipsi ex incorruptis historiae fontibus hauserunt, sed ubi proprio ingenio, tardo subinde et inficeto, assequi aliquid et eruere student. Et unus illorum clare ostendit, se priores Nubes nunquam vidisse, quum ad v. 542., ubi Aristophanes testatur, se nihil plus semel in scenam commisisse, haec scribat: *καίτοι καὶ αὕτη δεύτερον εἰσήχθη, ἀλλ' ἴσως διαφόρως.* Tres tantum loci leguntur in scholiis, qui huic rei quandam obscuritatem conciliant, quos tamen brevitatis causa iam non commemorabo, praesertim quum illi omnes, ubi Scholiastes velut testis oculatus loquitur, etiamsi prorsus nihil viderit, mihi postea diligentius sunt examinandi.

Verum quamvis omnino certum sit Scholiastas primas Nubes nunquam vidisse illosque

etiam in locis quibusdam per coniecturam explicandis nonnunquam in apertos errores incidisse; tamen vera eorum potest esse narratio, siquidem per certam fortasse historiam accepta, duas Nubium editiones extitisse et alteram a priore in colloquio iusti et iniusti oratoris et in exitu fabulae potissimum discrepasse. Nam loci illi omnes ubi, ecquid e primis Nubibus in alteras emigrarit, coniecturarum et ratiocinationum auxilio colligunt Scholiastae, minime, quod probe animadvertendum est, in his duabus, quas nominavimus, scenis reperiuntur; quamobrem illi nobis hic tanquam historici testes incorruptam veritatem tradere possunt, licet ibi, proprio iudicio et acumine utentes, atque, quod evenire subinde candidissimo potest, artem suam minus feliciter exercentes, tanquam critici et dialectici nonnisi falsa et absurda protulerint. De hoc igitur iam videamus, num Scholiastae hanc sententiam ob certam historiae fidem amplexi fuerint; at, quam luculenta sint eorum testimonia, prius expendamus. Scholiastes is, qui argumenti fabulae sexti scriptor est, clare innuit, exitum dramatis, ubi Socrati domus comburitur, ab Aristophane fuisse mutatum, quum verba ipsius

clare ostendunt, faces, quae hoc loco commemorantur, non primarum, sed secundarum Nubium esse. Hic enim sic loquitur: *αὐτίκα ἡ παραβάσις τοῦ χοροῦ ἤμειπται, καὶ ὅπου ὁ δίκαιος λόγος πρὸς τὸν ἄδικον λαλεῖ, καὶ τελευταῖον ὅπου καίεται ἡ διατριβὴ Σωκράτους.* At quae hic manet obscuritas, eam prorsus tollit Scholiastes ad v. 559., quum ecquid mutatum sit in ultima fabulae scena, quod argumenti scriptor intactum reliquerat, claris verbis enuntiat. Hic enim ad verba Aristophanis

οὐδ' εἰσῇξε δᾳδας ἔχουσ', οὐδ' ἰοὺ ἰοὺ βοᾷ

sequentia adscribit: *οὐκ ἔστι δῆλος, τίνι παρονειδίζει. ἀλλ' ἴσως ἑαυτῷ, ἐπεὶ πεποίηκεν ἐν τῷ τέλει τοῦ δράματος καιομένην τὴν διατριβὴν Σωκράτους, καί τινας τῶν φιλοσόφων λέγοντας ἰοὺ ἰού. ἐν δὲ ταῖς πρώταις Νεφέλαις τοῦτο οὐ πεποίηκε. ποιήσει δὲ αὐτὸ μετὰ λόγου. οὗτοι δὲ ἀκαίρως.* Hic igitur testatur, duas Nubium editiones in eo etiam a se invicem discrepare, quod in secundis facibus usus sit et philosophorum eiulatu, quae a primis longissime abfuissent. Quae omnia Scholiastis libenter crederemus, nisi ex hac illorum interpretatione alia dubitatio proficisci videretur, quae ad ipsa illa poetae verba pertinet, quorum explican-

dorum causa ista in scholiis traduntur. Nimirum Aristophanes in illo, quem prius laudavimus versu 539. indicare videtur, in secunda Nubium editione et faces et *ἰοὺ ἰοὺ* omissas esse, quod quum re ipsa falsum esse arguitur, horum trium unum ut statuamus necesse est: vel poetam sibimet ipsi non constitisse, vel Nubes Scholiastarum et nostras ex utraque editione satis misere fuisse consarcinatas, vel denique Scholiastas, quotquot sint, Aristophanis mentem non satis intellexisse. Quum vero nemo nostrum, nisi summa cogente necessitate, unam harum opinionum elegerit, vel poetam sibimet ipsi non constitisse, vel nostram et Scholiastarum editionem ex utraque editione esse concinnatam; nemo impediet, ut ea quaestione disputationem nostram exordiamur, num verba illa Aristophanis a Scholiastis recte an prave intellecta sint. At ante omnia ipsius Comici verba nobis in memoriam revocemus.

Versu 533. seqq. ita loquitur Aristophanes:

ὡς δὲ σώφρων ἐστὶ φύσει σκέψασθ'· ἥτις πρῶτα μὲν
οὐδὲν ἦλθε ῥαψαμένη σκύτινον καθειμένον,
ἐρυθρὸν ἐξ ἄκρου, παχύ, τοῖς παιδίοις ἵν' ᾖ γέλως.

οὐδ' ἔσκωψε τοὺς φαλακρούς, οὐδὲ κόρδαχ'
[illegible] εἵλκυσεν·
οὐδὲ πρεσβύτης ὁ λέγων τἄπη τῇ βακτηρίᾳ
τύπτει τὸν παρόντ', ἀφανίζων πονηρὰ σκώμματα·
οὐδ' εἰσῆξε δᾷδας ἔχουσ', οὐδ' ἰοὺ ἰοὺ βοᾷ.
ἀλλ' αὑτῇ καὶ τοῖς ἔπεσιν πιστεύουσ' ἐλήλυθεν.

Haec ille. Iam videndum igitur, quomodo Scholiastae haec poetae verba intellexerint, rectene an inepte. Hi quidem versum 533. *ἥτις πρῶτα μὲν* intellexerunt de omnibus Comici fabulis et versum 539. de prioribus Nubibus, ita ut Aristophanes comoediam suam hoc vellet commendare, quod faces ab ea et eiulatum *ἰοὺ ἰοὺ* abfuisse dicat. Quum ergo in illis Nubibus, quas habebant Scholiastae, et faces reperiebantur et eiulatus; in eam sententiam abierunt, illa omnia postea accessisse, quae a prima editione abfuisse ipse Aristophanes testetur. Totum igitur hunc locum poetae non de secundis sed de primis Nubibus intellexerunt. Voluisse enim eum primas Nubes excusare idque facete sic instituisse, ut abfuisse ab ea diceret ea, quae ipse cum in aliis fabulis, tum in secunda editione inepta adhibuisset. Ecce iterum Scholiastas, ex mero ingenio et coniectura, non ex genuinis historiae

fontibus sententiam proferentes, quae quidem tam vera est, quam validae rationes sunt, ob quas talia statuuntur. Verum priusquam ostendam, quomodo verba illa Aristophanis accipienda sint, hoc celare non possum, nihil facetiae aut leporis, sed multum tarditatis et ineptae scurrilitatis me in eo reperire, si in secundis Nubibus absurda revocasset, quae a primis longissime abfuissent. Si revera ineptae et absurdae sunt res illae, sine vituperio proferri non possunt; et si a poeta proferuntur, qui earundem obscoenitatem ipse perstringit; hic profecto non ad artis sublimitatem, non ad recti honestique studium, sed ad solam plebeculae gratiam, ad petulantiarum captationem studia sua contulisse censendus est. Hinc, si Aristophanem ingeniosum et facetum, non insulsum et ineptum agnoscimus, certe non revocavit in secundis Nubibus turpia illa, sed si in primis earum rerum quidquam adhibuisset, id potius in illis sustulisset et penitus amovisset. Quamobrem nihil ineptius potuit insanire Scholiastes, quam quum balbutit, haec omnia vitia, quae comicus aliquis committere potuit et quae hoc loco poeta reprehendit, sibimet ipsi obiecisse Aristophanem, quum ipse in Lysistrata

phallos, in Vespis cordacem, in Pace calvos, in Avibus senem rusticis iocis ludentem, in Nubibus faces et eiulatum introduxisset. Non enim magno opus esse videtur acumine ingenii, ut intelligatur, Aristophanem versibus his concertatorum gregem insectari et criminari voluisse, qui rerum istarum summe liberales, comoedias suas obscoenitatibus his et petulantiis implere et farcire consueverant; Eupolidem scilicet, qui calvos lacessierat, Simermonem, actorem Hermippi, adstantes baculo verberare solitum, aliosque ex eodem genere turpes et scurriles, quibus praeter trita et inepta haec nihil erat, quo spectatores, plebem praecipue delectarent, aut, quod fortasse solum intendebant, ad risum apertum concitarent. Et alia eiusdem generis vitia, in quibus comicorum vulgus toties sibi hoc tempore mirifice placuit a Nostro inprimis commemorantur tum in Ranarum initio tum in Vespis a versu inde 57. (ubi conf. Interpp. praecipue Brunck.), porro v. v. 1060—65., ubi se alienissimum semper profitetur ab obscoenis eiusmodi, suamque adeo senectutem potiorem esse arbitratur cincinnis multorum adolescentum et ornatu et impudicitia.

αἵδ' ἐπανθοῦσιν τρίχες
ἀλλ' κἀκ τῶν λειψάνων
δεῖ τῶνδε ῥώμην νεανικὴν ἔχειν. ἐγὼ
τοὐμὸν νομίζω γῆρας εἶναι κρεῖττον, ἢ πολ-
λῶν κικίννους νεανιῶν
καὶ σχῆμα κεὐρυπρωκτίαν.

Quare quum a prudenti nemine negari potest, Aristophanem serio loquutum esse, non ad aliorum comicorum morem se ipsum irrisisse, quod fecisset sane, si sibi ipsi vitia haec obiecisset; iure addere potuit in Nubibus v. 560. nolle se placere illis, qui his ineptissimis hominibus delectantur.

Ὅστις οὖν τούτοισι γελᾷ, τοῖς ἐμοῖς μὴ χαιρέτω.

Aliorum igitur poetarum vitia insectatur; se ipsum vult commendare. Commendat se vero maxime, si a fabula sua abfuisse ea dicit, quae alii comici inepta solebant adhibere: phallos, calvos, cordacem, senem rusticis iocis ludentem, faces denique et eiulatum. Hanc veram fuisse mentem Aristophanis, tardus omnino sit, qui non sentiat. Sed si faces et eiulatus a poeta inter vitia nominantur, a quibus committendis ipse semper esset alienissimus; qui quaeso factum est, ut tam in hodiernis Nubibus quam in illis Scholiastarum et

faces et eiulatus reperiantur? Ad hanc quaestionem longe ut videtur difficillimam, iustam vix responsionem inveneris, si animum affers tam anxium et timidum, quam Scholiastae illi, qui, ne dicam integram sententiam, sed ne verbum quidem perceperunt. Quare ante omnia videndum est, in quanam coniunctione versus 539., in quo poeta faces et eiulatum a comoedia sua abfuisse testatur, cum tota sententia consistat. Hoc iam, nisi magnopere fallimur, ex integro illo parabasis loco perspicue explicavimus, Aristophanem comicorum istius temporis vulgus voluisse perstringere, qui inepta tantum, ad plebeium risum excitandum idonea captare solebant; a quo insulso more se quidem hac in fabula alienissimum fuisse profitetur. Ex quo iam sua sponte sequitur quaestio generalis, eaque minime praetermittenda, num res istas omnes prorsus evitare debuerit Aristophanes, ut sibimet ipsi semper constitisse censendus sit. Hoc, ut breviter dicam, neque debuit, neque potuit. Omnes enim res illae, quas tanquam ineptas absurdasque poeta commemorat, tam firmam usu et diuturna consuetudine sedem in comoedia veteri obtinuerant, ut, nisi tota illa comoedia

exstirparetur, ipsa etiam eliminari penitus non potuerint. Verum, si scurrilia ista ad naturam fere veteris comoediae pertinuerunt, quod quidem verum esse omnes, qui originem dramatis comici apud Graecos cognitum habent, facillime concedent; quare hos insectatur et opprobriis petit, qui talia, quae a spectatoribus iure desiderabantur, in scenam proferebant? Hos quidem non tam propter ineptiarum istarum usum perstringit, quam quod nihil novi, sed res notissimas, creberrimo usu fere consumptas, in scenam proferre soleant, easque tritissimis tantum et ineptissimis iocis impleant, ac si in illis exaggerandis omnis lepor, facetia et elegantia consisteret. Est hic sensus totius loci inde a versu 553—558. Haec igitur sincera mens est Aristophanis, tritos tantum et vulgares iocos offerre poetas illos, novi prorsus nihil; et si etiam novi quidquam et non omnino triti afferre viderentur, id illos non ex proprio ingenio, sed ex aliis fontibus, praecipue ex ipsis Aristophanis fabulis deprompsisse. Iam, opinor, quaeri non amplius potest, num Aristophanes nihil ineptorum istorum adhibere potuerit, non quum tam usum illorum, quam abusum criminetur. Quamobrem etiamsi

hic illic adsperserit aliquid fabulis suis, quod quidem ut per se ineptum ipse reprehendebat, in scenam autem afferebat, quia et alio tempore placuisse, et nunc quoque placiturum fore sciebat; tamen petulantiae illae et ioci, licet usitatissimi essent et tritissimi, nobiliore quadam forma venustaque novitatis specie a sublimi ingenio proferri poterant, et quamvis absurdissimi essent et obscoenissimi, tamen verecundia quadam, quam permulti comici ne norant quidem, ita potuerunt tractari, ut facete et urbane ista omnia proferrentur. Conf. Schol. ad v. 296. et lepidam annotationem F. A. Wolfii ad h. l. Quae omnia ut administrare potuerit poeta, profecto non ingenium defuit, neque voluntas defecit. Et hoc verum fuisse poetae consilium, ut comoediam temporis illius, scurrilitate tantum et petulantia refertam ad elegantis, urbani et ingeniosi poematis dignitatem quantum posset elevaret; vel ipsa Pacis parabasis argumento esse potest, ubi quae vitia, quas ineptias et futiles nugas debuerit evitare, recenset, ut dicere de se possit (v. 749—50.)

Ἐποίησε τέχνην μεγάλην ἡμῖν, κἀπύργωσ' οἰκοδομήσας

ἔπεσιν μεγάλοις, καὶ διανοίαις, καὶ σκώμμασιν οὐκ ἀγοραίοις.

Patet igitur ex his, quae modo disputavimus, Aristophanem sibi vitia haec nequaquam obiecisse; et etiamsi quaedam his similia in fabulis suis subinde reperiantur, inde tamen neutiquam colligendum esse, poetam sibimet ipsi repugnasse. Sed, ut verum fateamur ingenue, omnia haec, quae iam disseruimus, de omnibus aliis Comici fabulis valere possunt et valent certissime; verum ad Nubes, a quibus poeta inepta illa omnino abfuisse disertissimis verbis profitetur, non aeque facile et secure poterunt applicari. Quamobrem etiamnum maxima nobis dubitatio superest. Faces enim et eiulatus inter vitia illa ponuntur et nihilominus in extrema fabulae scena locum inveniunt; quomodo haec coniungi inter se possunt, nisi cum Scholiastis inepta haec a primis abfuisse Nubibus, ad secundas autem accessisse statuamus? At vero sic minime existimandum esse duco, modo alia supersit ratio non improbabilis, qua poetae verba melius fortasse inter se coniungi possint. Non enim moribus et ingenio Aristophanis congruum videtur, ut peccata illa, quae prius graviter insectatus

fuerat, postea tamen ipse commiserit, praesertim in fabula hac, quam emendare, quam expolire meditaretur. Talem vero rationem nobis fortasse adhuc in promptu esse, ex ipsa difficultate colligo, quae nobis integram ad veritatem perveniendi spem et facultatem omnino sustulisse videtur. Nimirum poeta faces et eiulatum a comoedia sua abfuisse testatur, et nihilominus in ea reperiuntur; quae inter se coniungi nunquam poterunt, nisi illa, quae Scholiastis faces et eiulatus visa sunt, non sint illae faces et non is eiulatus, quae inter vitia poni volebat Aristophanes. Haec igitur ultima versus illos interpretandi ratio nobis iam examinanda restat, quae si ut aliae omnes pariter repudianda erit, omnino necesse est, ut iteratam Nubium editionem extitisse statuamus, aut Aristophanem semet ipso inferiorem fuisse suspicemur. Faces autem et eiulatum philosophorum, quae in Nubibus nostris leguntur, ab iis, quae ab Aristophane inter inepta (πονηρὰ σκώμματα) ponuntur, longe diversissima esse, haud improbabilis sententia videtur. Nam, si nullis praeconceptis opinionibus occupati, Nubes nostras pervolvimus et ipsum hunc locum inspicimus, in quo faces et eiulatus comme-

morantur; profecto nemo erit, qui versibus his inepti aliquid et obscoeni subesse profitebitur; quapropter sane mirandum est, illa ab Aristophane rebus obscoenissimis et petulantissimis, phallo, cordaci aliisque haud maioris pretii consociari potuisse. Et sane nemini in mentem veniret id suspicari de Aristophane, quod sibimet ipsi non consenserit, nisi hac Scholiastarum interpretatione impeditus et obcaecatus ad Nubes pervolvendas accederet. Quamobrem nihil magis ad similitudinem veritatis appropinquare videtur, quam nostrae fabulae faces et eiulatum non esse inepta illa, quae Aristophanes in Nubium parabasi acriter insectatur. Videntur nimirum temporibus istis permultae in scenam exiisse comoediae, in quibus facibus et eiulatui cum phallo, cordace aliisque iocis et ludibriis non secundariae quidem et inferiores, sed primae et praecipuae partes assignabantur: hoc enim si factum non fuisset, certe non potuissent inter seriem rerum ineptissimarum, quas vani poetae quotidie in scenam committebant, ab Aristophane commemorari. Quo strepitu, quo clamore, qua insolentia hi fortasse facibus et ululatu in scenam irruerint, nos quidem deperditis illorum

dramatis omnino subterfugit; at sane nemo est, qui non animadvertat insigne discrimen, quod est inter unam hanc facem, necessariam eam ex Strepsiadis iudicio, ut sapienti Socrati et discipulis eandem secum philosophiae artem profitentibus debita merces religiose solvatur, et inter alios tumultus, ubi conviviis, potationibus aut nuptiarum sollennitatibus opus erat, ut cum maximo strepitu faces afferrentur. Conf. Ecclesiaz. v. 693. et 1150. Thesmophor. 655. Pac. 1017. Haec si spectes, verba Aristophanis *οὐδ' εἰσῆξε δᾷδας ἔχουσ'* de face illa, qua Socrati domus inceditur, neutiquam potest intelligi, et eodem profecto iure lampas illa in Nubium initio pro face haberi posset. Ita quoque eiulatus discipuli Socratis, miseriam suam deplorantis, non est illud *ἰοὺ ἰού*, de quo in parabasi loquitur Aristophanes, bestialis fortasse clamor et eiulatus, sed merum indicium tristitiae et formidinis, quamobrem hoc loco taedium creare non potest. Sic igitur videmur nobis eruisse verum sensum verborum Aristophanis in parabasi Nubium inde a versu 553—59. atque severe demonstrasse, poetam in illo loco aliorum tantum comicorum vitia et flagitia criminari voluisse, suam vero laudem

et commendationem in eo posuisse, quod in fabula hac elegantissima omnia, quae in aliis reprehendit, inepta religiosissime evitaverit. Sed ubi nunc secundae Nubes? Si aliae, et graviores quidem, rationes afferri non poterunt, profecto nusquam, nisi in cerebro Scholiastarum. Nihil reperimus enim, quo statuere cogamur, duas Nubium editiones extitisse; sed Aristophanis verbis, quorum explicandorum causa omnes illae nugae, quas copiose recensuimus, allatae sunt, optime satisfacimus, si illa de Nubibus generatim, neque de primis neque de secundis intelliguntur. Et non possunt tantum sed debent etiam Aristophanis verba sic intelligi, quod optime confirmatur iis, quae prius disseruimus, poetam scilicet in parabasi illa ubivis tanquam unam immutatamque describere, licet eam, cum addit parabasin, iterum in scenam proferat, sive, ut rectius dicam, tantum proferre velit.

Restat adhuc unum. Scholiastes is, cuius interpretamentum ad v. 557. iam severe discussimus, versus finem ita loquitur: τὰς δὲ δᾳδας καὶ τὸ ἰοὺ ἰοὺ ἐν Νεφέλαις τὸ πρῶτον (scil. εἰσήγαγεν); quae verba ἐν Νεφέλαις τὸ

πρῶτον sic intellexerunt interpretes, quasi significarent *in primis Nubibus.* At illud τὸ πρῶτον non ad Νεφέλας solum, sed ad universam praecedentem sententiam pertinet; et locus ille ita est accipiendus: „faces et ἰοὺ ἰοὺ in Nubibus *primum* introduxit." Ex his igitur verbis neutiquam poteris demonstrare, Scholiastam faces et eiulatum ad primas Nubes retulisse, licet illas aliis ex causis, quas supra examinavimus, extitisse crediderit. Quod quum non viderunt interpretes, Scholiastam de *primis Nubibus* disserere arbitrati, offendebantur scholio ad v. 559., ubi contraria dicuntur· nimirum faces et eiulatum non primarum esse sed secundarum Nubium. Quamobrem Petitus Misc. I, 6. verba Scholiastae ad v. 559.: ἐν δὲ ταῖς πρώταις Νεφέλαις τοῦτο οὐ πεποίηκε ita corrigenda esse censet, ut pro οὐ facillima mutatione vocabuli legatur ἰοὺ; nimirum: ἐν δὲ ταῖς πρώταις Νεφέλαις τοῦτο ἰοὺ πεποίηκεν. Verum non opus est hac coniectura, aliis praeterea de causis valde inepta; nam scholia illa optime inter se consentiunt, si illud τὸ πρῶτον recte intelligitur.

Haec igitur omnia, quum tam sinistre accepta sint a vulgo Scholiastarum, quis non

inutile prorsus et supervacaneum esse censeat, diutius in altera illa huius quaestionis parte commorari, num ea scena, in qua iustitiae patronus et nequitiae defensor in concertationem descendunt, postea a poeta recognita sit. Cur ita Scholiastae statuerint, rationem non afferunt, ex quo satis secure coniecisse mihi videor, eos vel nullam rationem habuisse, vel haud graviorem ea, ob quam finem comoediae postea a poeta emendatum fuisse crediderunt. Sed quid, donec sanae mentis erimus, amplius credamus Scholiastis, de emendata fabula disserentibus, iis, qui non solum primas quasdam Nubes viderunt nunquam, sed etiam, quum ingenio et coniectura de prioribus Nubibus aliquid statuere conantur, infeliciter ubivis hallucinati sunt. Quae praeterea de nova fabulae recognitione sparsa leguntur in scholiis (ad v. v. 514. 539. 545. 549. 576. 587.) minorem aut nullam difficultatem faciunt et omnino convelluntur, si id tantum meminerimus, firmam hanc, licet iustis rationibus destitutam, Scholiastis fuisse sententiam, Aristophanem Nubes iterum recognovisse; quamobrem discrimen, quod inter utramque fuisse putaverunt, assidue

ubivis coniiciendo assequi atque studiose commemorare moliebantur.

Missis nunc tandem Scholiastarum commentis ad tertiam eamque ultimam disputationis nostrae partem pervenimus, hoc indagaturi, num versus illi, qui a veteribus quibusdam scriptoribus ex primis Nubibus laudantur, ad ipsas revera pertinuerint, aut potius ex alio, turbulento fortasse fonte manaverint. Scriptores, quorum testimonia hic examinanda veniunt, hi sunt: Diogenes Laertius, Athenaeus, Suidas. Sed hac in re cautissime versemur, aut, ut rectius dicam, audacissime! In tanta enim obscuritate, in qua hic versamur, ubi nihil pro vero et certo habendum est, quod non sit invictissimis argumentis comprobatum, omnino adhibenda est lex illa criticae superioris, quae narrationem quandam aut historiam non ideo tanquam veram admittit, quia refelli non potest; sed eam velut falsam repudiat, si non potest validissimis rationibus comprobari. Hominibus enim nihil verum est, licet de se verissimum sit, quod assequi ratione non possunt; quod vero sine ratione statuitur, ineptum est, prudentium fide indignum et falsis omnino adnumerandum. Quodsi ergo

necessitate non tenemur versus illos, quos apud nominatos veteres scriptores invenimus, ad priorem quandam Nubium editionem referendi, sed hoc solum intelligimus, eos alio ex fonte manare potuisse: ab artis criticae severitate nimium discederemus, si ob vanam hanc speciem iteratam Nubium editionem ab Aristophane susceptam fuisse arbitraremur. Illud igitur nunc agitur, ut examinetur, num fragmenta illa ad priores quasdam Nubes referri debeant, an alium fortasse fontem, ex quo manaverint, habere possint.

Apud Diogenem Laertium II, 19. ex Aristophanis Nubibus litteris consignati reperiuntur versus hi:

Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
τὰς περιλαλούσας οὗτος ἐστὶ τὰς σοφάς.

Qui quoniam in iis Nubium exemplaribus, quas habemus hodie, non comparent, Brunckius aliique fragmentum priorum Nubium esse crediderunt. Quorum sententiam ego quidem hoc loco non reprehendam, eoquod iis in mentem non venit, Scholiastarum de emendatione Nubium testimonia non certissima equidem, sed saltem dubitationi cuidam obnoxia esse. De quo si paullulum dubitassent, hoc sane miran-

dum esse cognovissent, quod ad Nubes generatim provocet hoc loco Diogenes et non potius eam editionem, ex qua versus hosce deprompsisset, suo proprio nomine nuncupet. Quod quidem eo maiore iure a Diogene expectandum videtur, si in prima editione, oblitterata fere hoc tempore, non in secunda, et Scholiastis adhuc bene cognita et a priore illa, ut fertur, mirifice discrepante, locum invenerint. Nihil sane facilius esset opinari, quam ante Νεφέλαις apud Diogenem excidisse προτέραις, si talem audaciam, cuius mox exempla videbimus, ars critica, sobria disciplina, non respueret et omnino repudiaret. At nuperus Nubium meritissimus editor, Carolus Reisigius, in Praefat. pag. XX. seqq., versus hos, quum ad priores Nubes pertinuerint, ad posteriores pariter pertinere censet, et in his locum habere perquam commodum et idoneum, si post versum centesimum secundum et nonagesimum inducantur. Quin adeo mira sagacitate eisque eo procedit vir praeclarus, ut necessitatem demonstrare conetur, nostris eos Nubibus inseri oportere. Quae sententia quum prorsus nova sit et ingeniosissime excogitata, paullo accuratius nobis examinanda est. Bona nimirum fide cum

Brunckio et aliis pro certo habet Reisigius, primam quondam Nubium editionem extitisse; aut, si vidit difficultatem aliquam, eam tamen non tetigit quidem, nedum sustulit. Iusto audacius igitur egit hoc loco, quum illa tanquam omnino certa accipit, quae, priusquam iudicium statuatur, religiosissime examinanda erant, praesertim quum versuum istorum auctoritati omnis haec nova a communi maxime discrepans de Nubibus sententia vel innitatur potissimum, vel saltem iis mirifice confirmetur. Et de hoc quoque probe disserendum erat Reisigio, num Diogenes ille, quem errantem toties et claudicantem, absurda saepe et insipida narrantem deprehendimus, hoc praecipue loco, quo novae interpretationi illi favet egregie, fidem summam et indubitatam auctoritatem, nulli prorsus discrimini obnoxiam necessario mereatur. Verum ut in eo consentiamus, in quo consentit Reisigius, usum fuisse Comicum versibus illis in Nubibus primum editis, tamen nobis non tam clarum videtur, poetam illos postea retinere debuisse et non potuisse reiicere. His enim, qui Nubes postea emendatas esse arbitrantur, Scholiastarum testimonia summam et unicam fere auctoritatem esse decet; at hi

multa, ut prius diximus, Aristophanem postea correxisse tradiderunt. Verum haec hactenus. Versus isti possunt esse Aristophanis, possunt etiam ad Nubes pertinere, licet non consentiamus in eo, usum iis fuisse Comicum in Nubibus primum editis; nam in ipsa fabulae editione, quam et nos habemus, Diogenes illos invenire potuit, ex qua, ut veterum scriptis mala sorte toties contigit, postea fortasse exciderunt. Quare in eo lubentissime assentior Reisigio, versus istos optimum in Nubibus invenire domicilium, si post versum centesimum secundum et nonagesimum inducantur. Verum reponi debere in hoc loco versus istos, nunquam mihi persuadebit vir doctissimus, ob rationes illas, quae cuilibet statim in promptu sunt. Quum enim Diogenem negligentissimum scriptorem in rebus tam multis et tantis omni prudentium hominum fide prorsus indignum conspicimus; ecquis negaverit, illum quoque, dum ad hos versus ex Nubibus provocaret, ita memoria falli potuisse, ut fortasse ex alia quadam Aristophanis fabula sententiam adscriberet, quam in Nubibus legisse putaret. Quod aliis optimae notae scriptoribus, incommodo certe librorum inspiciendorum et pervolven-

dorum subsidio instructis, toties accidit, id Diogeni accidere non potuisse contendemus? Quare ob unicam quotidiani scriptoris auctoritatem versus hos vel ad primam vel ad secundam Nubium editionem pertinere non statuam, donec tandem a iustis doctorum virorum reprehensionibus meliorum codicum fide, qui in Anglia latere dicuntur, aliquatenus saltem absolvatur; cuius quidem rei initium non omnino spernendum factum est a Schneidero, Saxone, in Analectt. litter. F. A. Wolfii Tom. II. pag. 272. seqq. Et quum in libris omnibus, quotquot Nubium hodie feruntur, quin aliquid deesse cognoscatur, bini versus excidissent; hoc ipso Diogenis testimonium vehementer enervatur, quin opus sit stulte credere, nullam unquam fuisse lacunam in veterum scriptis, aut integra omnia nostram aetatem tulisse. Si ab alio quodam scriptore, quem sincerum, quem eruditum ob gravia argumenta habere cogimur, si Alexandrini versus istos *ex Nubibus* commemorarent, licet in omnibus libris, qui ad nos pervenerunt, prorsus desiderentur; certe cedendum foret eorum auctoritati et probe circumspiciendum, an in nostra fabula locum inveniant, aut propter eos prio-

rem quandam Nubium editionem extitisse statuendum sit. Quae si non obiter et intempestive, sed ob severam artis criticae naturam paullo accuratius disputata sunt, hoc iam restat accurate definiendum, quid versibus istis faciendum sit. Audacter saltem illi ob unicum Diogenis Laertii testimonium contra omnium librorum auctoritatem nostris Nubibus insererentur, esti post versum 192. idoneum et praeclarum sane locum inveniant. Verum longe ineptius foret, versus illos ad priores quasdam Nubes referre; tum, quia hic eadem prorsus quam prius ratio valet; tum, quia si Diogenes de primis Nubibus quidquam perceptum habuisset, id eum hoc loco non silentio praeteriisse, sed accurate commemorasse expectandum fuisset. Quare nihil nunc statuendum de versibus istis, nisi aliorum scriptorum fide digniora accedant testimonia, quae illis vel in nostris Nubibus locum assignent, vel priores Nubes extitisse doceant.

Sed in his desertis derelictisque versibus, quorum modo suscipere patrocinium frustra conati sumus, Iacobsius ad Sulzeri Theoriam Vol. V. pag. 349. mendum latere suspicatur, et pro Εὐριπίδης Εὐριπίδου positum fuisse antiquitus.

Ipsum enim, qui loquitur verba haec, quasi digito indicasse Strepsiadi Socratem, cuius ingenium laudibus celebraret, viro doctissimo nulli dubitationi obnoxium videtur. Et sic profecto melius constaret, quamobrem Socrates *συμποῖειν Εὐριπίδῃ* dicatur, quod appareret nunquam, si in versibus his Εὐριπίδης legendum esset. Sensum huius sententiae facillima emendatione sanandae patrio sermone egregie expressit Iacobsius:

Der Mann, der des Euripides geschwätzige,
Mit Weisheit vollgestopfte Trauerspiele schrieb,
Sieh her, das ist er! —

Sic vero si legendum est, versus isti non possunt referri in loco illo, in quem eos induxit Reisigius, neque in alio quodam Nubium nostrarum loco satis commode reponi, quapropter ad has pertinere nulla ratione possent. Verum enimvero, ut fatear quod sentio, in versibus his vulnus non latet; et si recte intelligantur, vulgata scriptura non solum ob omnium librorum fidem, sed etiam ob facetissimum sensum, ab omnibus interpretibus ignoratum, omnino retinenda est. Haec enim, ne rem obscuritate perturbemus, haec perspicue dicit de Socrate Diogenes: *ἐδόκει δὲ συμποιεῖν Εὐ-*

ριπίδῃ, quod statim veterum poetarum testimoniis comprobare aggreditur. Illa autem, quae e veteribus affert exempla, sine contextus, ut dicunt, ratione commemorantur; quapropter verisimile aut, quidni dicam, certum fit, nostros versus:

Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
τὰς περιλαλούσας οὗτος ἐστὶ τὰς σοφάς

etiam nulla orationis iuncturae et nexus ratione habita a Diogene allatos esse. Sed ex eo, cuius causa locus iste a Diogene apponitur, nimirum ut constet, Socratem *συμποιεῖν* Εὐριπίδῃ, magna cum perspicuitate elucet, versus illos necessario ad Socratem, non ad alium quendam referendos esse. Socrates igitur ex iis, quae versus nostros antecesserunt, iam satis cognitus esse debuit, aut persona ipsius tam distinctis notata coloribus, ut ad nullum alium referri potuerint. Sed iam quaero, num versus hi facetiorem sensum habere possint, quam si ille, qui profert haec verba, Strepsiadi Socratem monstret eumque Euripidem dicat, loquaces et sapientia refertas tragoedias conscribentem. Versuum istorum tum hic erit salsissimus, Aristophanis ingenio et moribus accommodatissimus sensus: *nihil proprio Marte*

efficit Euripides, sed, quae sub ipsius nomine in scenam tragoediae committuntur, omnes a Socrate proficiscuntur. Possem alias easque gravissimas rationes addere, quae huic interpretationi mirificam auctoritatem conciliant. Sic mihi omnino assequutus videor verum sensum verborum istorum, atque novum neque vituperandum exemplum statuisse veritatis illius, quam ars critica severa lege coniecturarum amatoribus toties insusurrat: coniecturis locum non esse, sed vilipendendas omnes, licet ingeniosissimae sint, et prorsus repudiandas, nisi prius demonstratum sit, opus omnino esse emendatione et vulgatam ex codicibus petitam lectionem indigere medicina, ne medico, imperito praecipue, iusto citius arcessito sano et bene valenti morbus gravis aut vulnus vix sanandum inculcetur.*) Nostra autem interpre-

*) Alii pruritu sane emendandi cruciantur, quanquam nihil adsit, quod emendationem efflagitat; alii, si opus est emendatione, illi, quam assequuti coniectura sunt, saepe nimis religiose diffidunt ipsi. Ut unum tantum exemplum proferam, quod recenti adhuc memoria viget, in Lycurgi Oratione Leocratea pag. Reisk. 150. vulgata lectio haec est: ὡς καὶ μεγάλα καὶ βλάβους εἴη, quod nullum omnino sensum praebet; ideoque emendationem

tatio si vera est, quod affirmare quisque, qui veritatem fateri vult, non diu obloctabitur; bini hi versus in nostris Nubibus locum nullum inveniunt et collocarentur pessime, si illis cum Reisigio post versum 192. locum velles assignare. Nam non multo post, v. 218. Socrates ipse nomine suo compellatur; quid vero ineptius esset, quam notum satis superque, novo etiamnum nomine, ut cognoscatur, indicare? Quamobrem versus hi ad priores Nubes pertinere non potuerunt. Verum, ut diximus, graviora ob infirmam Diogenis auctoritatem testimonia accedant oportet, ut propter versus

---

necessariam facit. At duplex illud *καὶ*, quod in hoc loco nulla ratione ferri potest, clare id innuit, duas in autographo diversas sententias expressas fuisse. Ecce egregiam emendationem C. F. Heinrichii, viri celeberrimi, nuperi huius Orationis meritissimi vindicis: *ὡς καὶ μεγάλα τὴν πόλιν κοινῇ πᾶσαν ἠδίκηκε, καὶ ἰδίᾳ πολλοῖς βλάβους ἄξιος εἴη τ. π. μ. αὐτοῖς.* Qui locus insigniter repletus, quanquam optime conveniat orationis iuncturae, atticam dictionem servet et omnia omnino codicum vocabula retineat (nam etiam illud *αὐτοῖς* in cod. Vratislav. reperitur), tamen ob iustam veri Critici religionem noluit vir praeclarus in textum recipere »instauratam sententiam tali periculo.«

hos, qui ex Nubibus laudantur, priores quasdam Nubes extitisse statuamus.

Veniamus ad Athenaeum. Hic pag. 299. et 545. versus e secundis Nubibus affert, qui etiam in nostris v. 555. et 981. leguntur. At idem Athenaeus pag. 171. e prioribus Nubibus quinque versus commemorat, qui et ipsi reperiuntur in nostris v. 1197—201. Quare suspicatus est Brunckius in Athenaei verbis mendum latere atque librarios in tituli scriptura errasse, ut *προτέραις* ibi scriptum sit pro *δευτέραις*, quam coniecturam libenter suscepit Godofredus Hermannus. Attamen verba scriptoris tam turpiter depravata esse a librariis sine summa necessitate non crediderim; sed sed ipsum Athenaeum in errorem lapsum fuisse mallem arbitrari. Verum non opus est hoc loco isto remedio. Potuerunt nimirum Athenaei temporibus Nubes Aristophaneae duplici forma circumferri; una, quae retinebat primam illam et veterem, sive quae parabasi carebat; altera, cui parabasis erat adiecta. Illae igitur *primae*, hae *secundae* Nubes commode appellari potuerunt. Licet enim in hoc non velis mecum consentire, quod tamen omnino certum videtur, a poetae inde temporibus pro-

pagatas fuisse duplici forma Nubes; tamen negari non potest etiam postea et praesertim Athenaei temporibus e Nubibus reiici potuisse parabasin illam, propter rationes quidem, quas iam breviter expositurus sum. Parabasis enim ad comoediam non proprie pertinet, neque ad partem quandam illius proprie referenda, sed actus quidam intermedius, exponendo per chorum poetae consilio destinatus, quod in nova comoedia prologo fit. Ob actum hunc intermedium, respirationem quandam spectatoribus fessis quodammodo concedentem, mirificum fabulae decus, insignis gratia conciliatur, id quod Scholiastes ad Ranarum parabasin egregie explicat. Quum vero parabasis illa ad fabulam ipsam non necessario pertineat, sed potius res ab argumento et consilio Nubium quam diversissimas contineat, quumque eo fortasse tempore, quo scripsit Athenaeus, inter omnes non satis constaret, postea adiectam fuisse a poeta parabasin illam; certe non tam facile inserebatur exemplaribus, in quibus deerat, quam eiiciebatur ex illis, in quibus iam domicilium invenerat. Nonne igitur illa exemplaria, quae editam *in scena* fabulam continebant, laudabili sensu primae Nubes appellari

potuerunt; nonne illae secundae, quae postea, at scripto tantum a poeta parabasi locupletatae erant? Quod vero parabases veteris comoediae posterioribus praecipue temporibus ex ipsis fabulis excidere potuerint, ex hoc etiam fortasse cognosci potest, quod parabases illae in concertatores potissimum inveherentur, eosque opprobriis maximis onerarent, neque alienae essent ab iis, quae decoris moribus et honestati quam maxime adversarentur, vel saltem adversari viderentur. Non igitur omnino artis inscientiae accusandi illi essent, qui actibus his intermediis tam parum delectabantur, ut illos ex suis fabularum exemplaribus expungerent. Atque huic explicationi egregie favet Plutarchi de veteris comoediae parabasi iudicium, qui eam ob nimiam libertatem, audaciam et odium contra alios in conviviis minime recitandam esse contendit. Conf. locum egregium in Symposiaco VII., quaest. 8., cap. 3., Vol. XI, pag. 225. edit Tubing. Haec sententia, si pluribus fuit cum Plutarcho communis, vix inserebatur Nubibus parabasis illa, quam a fabula in scenam commissa abfuisse et postea accessisse constabat. Easdem igitur Nubes novit Athenaeus, quam et nos habemus; nam si

priores quasdam cognovisset praeter illas, in quibus parabasis deerat, quid quaeso accidit, cur eo tempore, quo Scholiastae vixerunt, prorsus interierint? Igitur neque in Athenaeo aliquid corrigendum est, neque ipsius auctoritas nos in eam sententiam adducit, ut Nubes iterum a poeta recognitas et denuo editas fuisse, arbitrari necesse sit.

Suidas sub voce *πήνιον* ex Aristophanis Nubibus versum exhibet, quem quoque in nostris exemplaribus frustra quaerimus. Est hic:

κείσεσθον, ὥσπερ πηνίω βινουμένω.

Versum hunc Suidas ad Chaerephontis tenuitatem corporis refert; ex quibus causis non facile est intellectu. At Suidas, qui priores Nubes nunquam vidit, qui praeterea pleraque ex turbulentis Scholiorum fontibus hausit et quidem Scholiastas nostrae fabulae toties caecorum more sequutus est, vix rectius quidquam novit istis; quapropter quod cum illis quandoque in errorem inciderit, ad similitudinem veritatis proprius videtur accedere. Hoc saltem certissimum est, Suidam versum hunc ex primis quibusdam Nubibus non apposuisse; has enim Scholiastae non viderunt, etiamsi verum esset eas prius extitisse: num Suidas

eas noscere potuit, qui post Scholiastas scripsit eorumque nugas saepe recoxit? Verum si versum hunc ad nostram editionem antiquitus pertinuisse censes illumque ex ea postea excidisse; locus erit assignandus, in quo reponatur; quanquam vehementer dubitem in totis Nubibus commodum quendam et idoneum posse reperiri.

Dico, si idoneus locus poterit reperiri, versus hic inserendus esset nostris Nubibus. At in eiusmodi rebus, quae summa religione et severitate, non fluctuante sensu diiudicandae sunt, viri caeteroquin sagacissimi iustos artis criticae fines saepenumero transilierunt; cuius erroris luculentum habemus exemplum ipsam Brunckianam Nubium editionem. Nimirum apud eundem Suidam s. v. *χιάζειν* ex Aristophane laudatur versus hic:
αὐτὸς δείξας ἐν ϑ'ἁρμονίαις χιάζων ἢ σιφνιάζων,
quem vir summus, Valckenarius ad Euripid. Fragm. pag. 224. post Nubium versum 970. inserendum pronuntiavit. Quam sententiam sequutus est Brunckius, consentiente Porsono, atque adeo in textum recepit, ac si res certissima esset. Verum ecquid hoc magis temerarium esse potest, quum ipse Suidas versum

istum ex Aristophane tantum, cuius tot fabulas infensa litteris aetas funditus abstulit, et plurium fortasse memoriam ipsam abolevit, minime vero ex Nubibus laudet, quum etiam in nostris exemplaribus prorsus nihil excidisse sentiamus, sed cuncta uno tenore optime fluant, quumque adeo inserto illo versu magis implicetur, quam expediatur oratio? Optimo igitur iure versus hic in nuperis Nubium editionibus, quae non auctoritatem magnorum quorundam virorum temere sequuntur, omissus et repudiatus est. Quare consideratius profecto arbitratus est Naekius, vir ob religionem in arte critica exercenda imitandum nobis exemplum, ad Choerili Fragm. pag. 54., quum de versu hoc apud Photium s. v. Πάρνης, a se ipso sic emendato:

παρὰ τὴν Πάρνηθ' ὀργισθεῖσαι φροῦδαι κατὰ
τὸν Λυκαβηττόν·

aliquantisper se cogitasse fatetur, num fortasse ad priores Nubes referendus sit; quam sententiam eruditissimi viri confirmavit egregius libri censor in Ephemerid. litt. Lipsiens., hoc solum additamento, probabilius legendum esse in versu illo ἐς τὴν Πάρνηθ'. Sed deponet fortasse opinionem suam Professor desidera-

tissimus hanc quum grati discipuli tenuem opellam serena, ut solet, fronte intuitus erit. Haberet me caeteroquin omnino consentientem, si primae Nubes reapse extitissent.

Iam quum versus illos, qui priorum Nubium esse creduntur, omnes examinavimus et in illis nihil invenimus, quo communis opinio confirmetur; hoc etiam silentio praetermitti non potest, quod apud unicum tantum scriptorem, Athenaeum, discrimen illud inter primas et secundas Nubes disertis verbis expressum inveniatur: Diogenes enim et Suidas Nubes tantum, sine additamento commemorant. Quod illos facturos non arbitror, si duas a se invicem discrepantes Nubium editiones novissent. Raro enim apud veteres scriptores exemplum invenies, quum fabulam iterum editam, qualis est Euripidis Iphigenia, Aristophanis Plutus et Thesmophoriazusae, commemorant, quin semper illa editio nominetur, ex qua versus, quos apponunt, deprompti sunt, vel ad quam lectorem remissum esse volunt. Exempla plurima apud Athenaeum multis locis obvia, quorum et ego dedi quaedem in initio huius libelli; quum de repetitis fabulis apud Graecos nonnulla disserebam. Conf. pag. 20. seqq.

Inde quoque cernitur, quare e veteribus unus Athenaeus Nubes primas et secundas commemoret; quanquam negari non potest, eum ipsum, quum versus e primis Nubibus apponit, qui in secundis leguntur, in apertum errorem incidisse; nisi hoc multum valeret ad excusationem, quod non verisimile solum, sed certum prope videatur, propter parabasin tantum illud discrimen factum fuisse. Et nunc tandem ad illum quoque locum pervenimus, ex quo certum iudicium de binis illis versibus, quos Diogenes Laertius ex Nubibus affert, iusta securitate enuntiare licebit. Etenim quid statuendum sit de versibus his, antea non statim decernendum, sed in medio relinquendum satius esse existimavimus; donec aliorum virorum, quorum testimonia maiorem fortasse fidem mererentur, protulissemus, quibus Diogenis testimonio, per se non efficacissimo, maior auctoritas conciliari possit. Examinavimus omnia, quae nobis a veteribus scriptoribus de hoc argumento tradita sunt; quae quum omnia nihil omnino ad firmandam communem de duplici Nubium editione sententiam valere posse cognovimus; versus hos a Diogene

laudatos reiicimus penitus et ax alio, incertum quo, fonte profectos esse statuimus.

Iam ergo ad finem disputationis pervenimus et intelleximus illam Scholiastarum de iterata dramatis huius editione narrationem merum inventum et commentum esse, cui nihil ponderis addunt versus illi, ex antiquis quibusdam scriptoribus deprompti, qui vulgo priorum Nubium fuisse creduntur. Quod si idoneis rationibus demonstravimus, neque nos unquam a recta veritatis tramite abduci permisimus, laetabimur magnopere pervulgatum errorem vel refutasse penitus, vel saltem detexisse. per se quidem omnem excedit similitudinem veritatis, Aristophanem unam eandemque fabulam, iudicatam quidem et condemnatam, repetito scenae commisisse. Et hic quidem eo tempore, quo Nubes docuit, in media fere laborum suorum tramite versabatur, novis semper iisque nobilissimis abundans operibus, maximeque remotus (id quod ipse fatetur, quum eos ob facinus hoc, in parabasi quam acerbissime perstringit) a consueto crimine ineptorum poetarum, qui eadem plus semel in scenam proferre et mercatui exponere non erubuerunt.

Sed quoniam in eo summum artis criticae fastigium est, non solum ut detegatur error, sed etiam ut rationes afferantur, quare oriri potuerit et ortus sit; illud quidem nunc agencum est, ut explicetur, qui factum sit, ut Scholiastae falsissimam hanc opinionem, ad nostra usque tempora pervulgatam concipere potuerint: quod absoluta disputatione difficultatis parum habere videtur. Ratio, cur Scholiastae ita iudicaverint, in parabasi illa continetur, quam postea additam esse a poeta longe certissimum est. Quare pronum fuit iudicium, Comicum fabulam hanc iteratis curis expolisse. Quod quum arbitrarentur, minime contenti erant addita illa parabasi; sed praeterea necessarium videbatur ipsis, Aristophanem alias quasdam fabulae partes mutavisse: colloquium scilicet iusti et iniusti oratoris et dramatis exitum, in quo Socratis domus flammis absumitur. Priorem hanc scenam a poeta mutatam esse, Scholiastae nullis argumentis, quoniam illa omnino defecerant, comprobare student; alteram vero elimatam et expolitam esse collegerunt ex ipsis poetae verbis in parabasi, quae quidem Scholiastarum sententiae magnam conciliant speciem veritatis, verum eam cele-

riter evanescentem, si Aristophanem verbis istis absurdos concertatorum mores, qui tantum ineptis his spectatores exhilarare, neque novi quidquam et honesti afferre solebant, non vero sobrium rerum istarum usum, potissimum criminari voluisse meminerimus. Viam hanc postquam Scholiastis semel inire placuit, pergebant coniecturis et interpretamentis, ut, quid ex primis Nubibus reservatum fuerit, quid postea adiectum a poeta aut mutatum saltem, magno cum acumine studiosius ubivis indicarent. Quamobrem ultima haec, quae nullius pretii esse videbantur, in disputatione nostra ne tetigimus quidem, quum praecipua Scholiastarum sententiae fundamenta satis diruta atque concussa iacebant*).

*) Nonnunquam id Scholiastis contigit, ut si in fabula quadam aliquid invenirent, quod cum poetae consilio, aut partium inter se nexu, aut aliorum de ipso hoc dramate testimoniis non bene conciliari posse videretur, duas propterea editiones fuisse arbitrarentur. Unum exemplum afferam, quo res perspicua reddetur. Ad Aristoph. Ran. v. 1026 seqq., ubi leguntur verba haec: ΑΙΣΧ. Εἶτα διδάξας τοὺς Πέρσας μετὰ τοῦτ', ἐπιθυμεῖν ἐξεδίδαξα Νικᾶν ἀεὶ τοὺς ἀντιπάλους κοσμήσας ἔργον ἄριστον.

Post longam tandem atque subinde non suavem intricatarum rerum pertractationem, revertendum est ad illum, qui nobis haec scribendi opportunitatem fecit, ad te, Elvenichi, Sodalis dilectissime! ad quem, dum scholiorum erroribus occupabar, non semper respicere licuit. Accipe igitur munusculum hocce, quod,

---

ΔΙΟΝ. Ἐχάρην γοῦν ἡνίκ' ἀπηγγέλθη περὶ Δαρείου τεθνεῶτος Ὁ χόρος δ' εὐθὺς τὼ χεῖρ' ὡδὶ ξυγκρούσας εἶπεν ΙΑΥΟΙ, notavit Scholiastes, hanc interiectionem ἰαυοῖ in Aeschyli Persis nunquam comparere, nec quidquam de Darii morte innui, ut nonnulli de altera Persarum διασκευῇ cogitarint. Quare Biomfieldius locum illum in Persis v. 668—670 et 678. βάσκε περῶν ἄκακε Δαρειὰν, οἶ ita corrigendum censet: Δαρεῖ, ἰαυοῖ. Verum illam interiectionem ἰαυοῖ in Aeschyli Persis locum habuisse, ex illa Aristophanis sententia nunquam demonstrabis; quanquam non consentiamus in eo, pronunciatam illam fuisse a choro, et non fuisse in ipsa fabula litteris expressam. Est potius iucundus quidam lepor in verbis his Dionysii, si in Persis illud ἰαυοῖ omnino abfuisse statuamus, Dionysium vero illud quasi finxisse, quod multi faciunt, quum illud aut neutiquam perceptum habent, aut obscure tantum, ne rei omnino ignari esse videantur.

ut prope Mureti verbis utar, si ex sua dignitate spectetur, perexiguum est; si ex viribus meis, mediocre; si ex animo, magnum. Illo si hoc tantum assequutus fuero, ut videas observantiae speciem, qua noc solum ego te colo, sed etiam Commilitones exoptatissimi, qui mihi ad exarandas has chartas magno fuerunt incitamento, te prosequantur; neque istae studiorum meorum primitiae litteris nocivae magis, quam profuturae fuerint: habebo, quod volui et nihil est, quod praeterea requiram. Tu nunc ingenuos iuvenes, quos Rhenus, pater, et Mosella progenerarunt, illis litteris imbues, quas hic coluimus invicem: vide igitur, ut, quae humanitatis litterae sunt, secundum Regiam voluntatem ad veram etiam humanitatem conferantur. Tu enim cum Schopenio nostro, summis nuper in Philosophia honoribus ornato, hoc iam in te officium suscepisti, nobis omnibus, qui eodem brevi munere fungemur, honesto praeire exemplo et viam quasi complanare, qua etiam nobis postea erit incedendum. Ita, quantum apud te est, consules honori et incremento Philologici huius instituti, Regia profecto mente et munificentia conditi, consules honori virorum de

nobis immortaliter meritorum, consules tibi ipsi consulesque nobis atque spem et expectationem malam aut bonam de studiis nostris aut enervabis aut corroborabis. Verum otiosum est plura dicere tibi, Elvenichi! de quo nobis nihil, nisi bona sperare, nihil, nisi insignia augurari licet. Nos te amare nunquam desinemus, nisi tu, qui es, esse desieris; quod tamen pro certo habemus, id fieri nunquam posse. Vale!

THESES CONTROVERSAE
AD DISPUTANDUM PROPOSITAE.

Quibus asteriscum praefixi, defendendas mihi
dedit
C. F. HEINRICHIUS.

I.

Philologia nihil aliud suo ambitu comprehendit, quam cognitionem eruditam Graecae et Romanae antiquitatis.

II.

Summum in Philologia locum Ars critica tenet. Qua qui excellit in suo genere Princeps habendus est.

III.

**Plus est quam lusus ingenii eruditi, lacunas et defectus in scriptis veterum coniectura explere.*

IV.

Falsa est Artis Criticae in inferiorem et superiorem divisio.

V.

Aestheticae praecepta melius ex veterum monumentis, quam ex philosophicis recentiorum placitis cognoscuntur.

VI.

Menexeni pars dialogica ipsius Platonis est.

VII.

**Horatii Sermonum non duos habemus libros, sed quatuor.*

VIII.

Aristophanes Socratem in Nubibus sine odio et acerbitate traduxit.

IX.

**Falsa est rerum et verborum in Philologia distinctio.*

X.

Inanis est rumor, Platonem inter et Xenophontem simultatem intercessisse.

XI.

**Horatius ad Augustum scripsit: quod medicorum est promittunt medici: non quod Bentleius substituit: melicorum — melici.*

XII.

Nihil intelligunt, qui in veterum librorum editoribus hoc necessarium esse statuunt, ut ingenium habeant cum ipsorum librorum scriptoribus cognatum.

XIII.

Quod tenet insanabile multos scribendi cacoëthes bonis artibus perniciosissimum est.

XIV.

**Diariis multiplicandis litterae vilescunt.*

XV.

Ingenia ad nugandum prona analytica litteras tractandi ratio et syllogistica disputandi forma sola coercet.

XVI.

Psychologia empirica in scholis summa cum utilitate doceri potest.

XVII.

Logica tam parum pars prima, quam pars aliqua Philosophiae est.

XVIII.

Philosophia, si aliam ducem, quam rationem humanam sequitur, indigna est suo nomine.

XIX.

A necessitate incipit Philosophia, procedit cum necessitate, in necessitate terminatur.

XX.

Iusta est divisio rationis humanae in theoreticam et practicam.

XXI.

Vana est distinctio veritatis in formalem et materialem.

XXII.

Deum statuere principium Philosophiae moralis, falsum est.

XXIII.

Fundamentum Philosophiae Cantianae, quod est doctrina de tempore et spatio, nullum est.

XXIV.

Inepte agunt, qui ex ipso vocabulo Metaphysica naturam huius disciplinae explicare conantur.

XXV.

Studia Philosophiae ab historia huius disciplinae non incipienda sunt.

XXVI.

**Non recte scire nescire est.*

Ex Officina Henrici Bohres.

Aristophanes. Nubes 259456 LGr
Author Esser, Wilhelm A716n
Title De prima et altera quae fertur Nubium Aristophanis editione. .Ye

DATE. NAME OF BORROWER.

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File"
Made by LIBRARY BUREAU